



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 167. Epistola Patriarchæ Alexandrini ad eundem Pontificem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. Rescripsit vero Pontifex Regi die quarta  
 A.C. 1441. Octobris, hasque literas Angelus Mauro-  
 cenus Sciensis Insulæ Gubernator de-  
 tulit.

## §. CLXVII.

*Epistola Patriarchæ Alexandrini ad  
 Eugenium Papam.*

*Labbe Conc.* Eodem tempore Philotheus Patriarcha  
 20.13.p.1174 Alexandrinus, recepto unionis Græ-  
 corum decreto, ad Eugenium Papam lite-  
 ras dedit, eidem hancce concordiam gra-  
 tulaturus, & in communis quoque læti-  
 tiæ partem venturus. Hujus Epistolæ  
 principium sane notatu est dignissimum.  
 Ita Patriarcha alloquitur Eugenium, *Pa-  
 ter religiosissime, beatissime, justissime, terre-  
 stris Angele, ac cælestis Homo, qui cum gra-  
 tia Dei indutus cum sacra veste ornatus,  
 boni gregis optime Pastor, qui doctrina tua  
 irruentes lupos ab ovibus universalis ovilis  
 depellis Christi nostri benefactoris patrocinio,  
 deinde Principis Apostolorum Petri, & pe-  
 tra fidei, caput omnium Christianarum Ec-  
 clesiarum, qui ex Christo JESU Domino no-  
 stro sacram potestatem accipiens Papa ma-  
 gnæ Urbis Romanorum, & protector cetero-  
 rum Patriarcharum &c.* Dein unionem  
 feliciter sancitam magnificis encomiorum  
 titulis deprædicat, additque, *se scripsisse  
 literas ad Joannem Palæologum Impera-  
 torem,*

torem, & ad quosdam Pontifices Constanti-  
 nopolim, significans, ut si quis ea quæ in sa-  
 cra Synodo decreta ac definita sunt, non re-  
 cepit, tanquam tyrannus & hæreticus habeatur,  
 decidatque a communione sanctæ Ecclesiæ  
 Catholicæ. Verum ardens hoc unionis  
 tuendæ studium prospero effectu frustra-  
 tum perspiciemus.

## §. CLXVIII.

*Conventus Moguntinus.*

Dum Patriarchæ Orientis ex ultimis  
 terrarum Oris ad Eugenium conflue-  
 bant, summi Pontificatus auctoritatem  
 reverenter suscepturi, Basileenses eandem  
 penitus evertere extremis conatibus la-  
 borabant. Quam ob rem suos decerne-  
 bant Oratores ad conventum, seu comi-  
 tia, quæ Principes Germaniæ in Mense A-  
 prili Moguntiæ celebranda indixerunt. Ac-  
 cesserant quoque Legati ab Eugenio Papa  
 missi, simulque Galliarum Rex a Friderico  
 Cæsare ad hunc conventum venire  
 rogatus suos Oratores unacum pluribus  
 aliorum Principum Legatis eo ablegave-  
 rat. Advenerat jam antea cum reliquis  
 Basileensium Delegatis Joannes de Segovia,  
 quem Felix postea Cardinalem Sancti  
 Calixti nuncupaverat. Hic Principum  
 adventum eo consilio præstolabatur,  
 ut Legati a latere munia obire posset,